

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0497

Giovedì 24.08.2000

LETTERE DEL SANTO PADRE IN OCCASIONE DELLA CELEBRAZIONE GIUBILARE PER LA FESTA DELLA NATIVITÀ DELLA BEATA VERGINE MARIA

LETTERE DEL SANTO PADRE IN OCCASIONE DELLA CELEBRAZIONE GIUBILARE PER LA FESTA DELLA NATIVITÀ DELLA BEATA VERGINE MARIA

- LETTERA ALL'INVIATO SPECIALE
- LETTERA ALL'EGUMENO ED ESARCA ORDINARIO DEL MONASTERO DI S. MARIA DI GROTTAFERRATA

Pubblichiamo di seguito le lettere che il Santo Padre ha rispettivamente fatto pervenire al Suo Inviato Speciale, Em.mo Card. Achille Silvestrini, Prefetto della Congregazione per le Chiese Orientali, e all'Egumeno ed Esarca Ordinario del Monastero Esarchico di S. Maria di Grottaferrata, Archimandrita Emiliano Fabbricatore, in occasione della solenne celebrazione giubilare della Festa della Natività della Beata Vergine Maria, che avrà luogo nel Monastero medesimo, il 7 settembre prossimo:

- LETTERA ALL'INVIATO SPECIALE Venerabili Fratri Nostro ACHILLI S.R.E. Cardinali SILVESTRINI Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus Praefecto

Praestanti hoc et Magno effuliente Iubilaeo, fideles etiam ad orientalem ritum pertinentes primas agunt partes in tanto eventu celebrando. Praeclaro anno hoc dies VIII mensis Septembris conspicuum obtinet locum, cum Theotokos nata recolitur, veneranda scilicet Deipara. Si quidem alibi Beatae Virginis Mariae Nativitas sollemniter commemoratur, id potissimum apud Monasterium Exarchicum B. Mariae Cryptae Ferratae agitur.

Monasterium namque hoc saeculorum decursu non modo cultu bonarum litterarum eminuit, verum etiam caelesti Matri in laudibus dicendis claruit. Animum haud semel ac mentem ad diem illum referimus cum sollemni lucernario Byzantino Nos praesedimus atque Mariale Annum inauguravimus, ut inde fere sumpto initio in totum terrarum orbem Christi Redemptoris Matris affatim fluerent beneficia ac firmum Ipsius patrocinium dirigeretur.

Suasore ergo ac petitore Reverendissimo Patre Aemiliano Fabbricatore, Egumeno et Exarcho Ordinario

Sanctae Mariae Cryptae Ferratae, volentes ac libentes Missum destinare, Nativitatis B. Mariae Virginis eveniente festo in primis vesperis incohando, ad iubilarem celebrationem agendam apud Monasterium, cuius supra est facta mentio, statuimus, qui partes Nostras sustineat et personam tueatur. Ad te autem, Venerabilis Frater Noster, cogitationem convertimus, qui prorsus idoneus occurris ad ministerium hoc praestandum et luculenter explendum, cui olim fidenter Ecclesialium Orientalium destinavimus procreationem. Itaque permagna moti affectione, te, Venerabilis Frater Noster, Missum extraordinarium renuntiamus et constituimus ad celebrationem quam supra diximus agendam.

Universis igitur illius Monasterii sodalibus fidelibusque inibi cunctis voluntatem Nostram benignam ostendes et cohortationem ad Magni Iubilaei sensum plane percipiendum signifiques. Omnibus Nostro nomine Nostraque auctoritate Benedictionem Apostolicam impertias velimus, quae sit animorum renovationis signum et praeclari huius anni peculiarium gratiarum pignus.

Ex Aedibus Vaticanis, die X mensis Augusti, anno MM, Pontificatus Nostri altero et vicesimo.

IOANNES PAULUS II

[01728-07.02] [Testo originale: Latino]

• LETTERA ALL'EGUMENO ED ESARCA ORDINARIO DEL MONASTERO DI S. MARIA DI
GROTTAFERRATAReverendissimo PatriArchimandritae Aemiliano FabbricatoreEgumeno Exarcho Ordinario
 Monasterii ExarchiciSanctae Mariae Cryptae Ferratae

Perpetua illa perque profunda pietas, qua erga sanctissimam Iesu Christi ferimur Matrem, haud sane Nos sinit ullam maiorem eius praeterire celebrationem publicamve commemorationem. Quin immo quo saepius cognovimus nomen ipsius honoremque per Ecclesiam excoli, eo vehementius quidem et intus laetamur et celebrantibus ipsis veluti praesentes adesse cupimus.

Singulari propterea elati sumus gaudio, cum inter alia urbis Romanae iubilaria sollemnia accepissemus simili affectu in vestro Marialis nominis coenobio mox alium Genetricis beatae titulum dignam accepturum esse venerationem videlicet Nativitatis ipsius hoc anno in peregrinatio incohandom eiusdem sollemnitas.

Hanc nimur ob causam inter vos Venerabilem Fratrem Nostrum Achillem Silvestrini illorum rituum tempore personam vere Nostram gerere voluimus neque illud tamen satis cum haberemus, has addere placuit Litteras tamquam e manibus Nostris traditas, quibus et gratulari studemus huius praestabilis celebrationis auctoribus omnibusque participibus et Nostram consensionem testificari atque communem affectionem.

Quantum quidem possumus hortamur ut illuminatus Mariae Matris nostrae cultus in Christifideliū omnium animis roboretur, ut inde catholica vita et opera abunde nutriatur, ut denique universale Ecclesiae Magnum Iubilaeum hoc modo a coenobio Sanctae Mariae Cryptae Ferratae uberem fructum et impulsum recepisse videatur. Comitetur celebrantes Mariae Nativitatis omnes illic Benedictio Nostra Apostolica, veluti meritorum praemium ac novorum inceptorum Marialium incitamentum.

Ex Aedibus Vaticanis, die X mensis Augusti, anno MM, Pontificatus Nostri altero et vicesimo.

[01729-07.02] [Testo originale: Latino]
